GEORGIO FRIDERICO SCHOEMANNO

DIEM XX. M. IVNII A. MDCCCLXIII

QVO ABHINC ANNOS QVINQVAGINTA

MAGISTRI PVBLICI MVNVS AVSPICATVS EST

GRATVLATVR

PHILOSOPHORVM IN VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI ORDO.

INEST

ARNOLDI SCHAEFERI

DE EPHORIS LACEDAEMONIIS

COMMENTATIO.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXIII

LIPSIAE FORMIS EXPRESSIT B. G. TEVBNER

Cum allatum esset nobis instare diem, quo Tu, vir summe, ante hos quinquaginta annos magistri munus suscepisti, fieri non potuit, quin prae ceteris nos, qui Tecum philosophorum in academia Pomerana ordini adscripti sumus, desiderio afficeremur his in solemnibus quanti Te faceremus et Tibi significandi et publice declarandi. Nam dum inter eos, qui faustis votis festum hunc diem concelebraturi sunt, alii Te quondam suum fuisse gloriantur, nos praesentem Te collegam habemus: dum alii Tuam disciplinam experti Te duce se ad studia humanitatis informatos esse grato animo profitentur, ne nobis quidem desunt Tui quondam auditores, et quanta Tu constantia ac fide quantoque cum fructu adolescentium studia regas, perpetuo nobis ante oculos versatur: dum cives Gryphiswaldenses debitum Tibi, civitatis suae diserto praeconi, honorem reddunt, nos Te in sinu academiae habitare nostrique ordinis insigne decus esse meminimus. Quidquid Tu vel ad adolescentes bonarum artium studiosos instituendos vel ad litteras excolendas editis doctrinae atque ingenii egregiis documentis contulisti, non Tibi soli hoc gloriae censetur, sed pars aliqua laudis etiam in ordinem nostrum redundat, cuius Tu per septem amplius lustra dux ac signifer fuisti, nunc senior non imminuto vigore auctoritatem tueris. Quis nostrum est quin recordetur Te cum in gymnasiis Tanglimensi et Gryphiswaldensi tum in hac academia, cuius olim alumnus fueras, antiquitatis studia instaurasse et strenue sustinuisse, qui dum collegae Tibi adiuncti pluribus vicibus hinc in alias academias abirent, unus constanti consilio provinciam Tuam tuerere nec Te inde splendidis condicionibus avocari sineres. Quater Tu decanus ordini nostro praefuisti, quater rector academiae fasces tenuisti, neque quisquam Te dignior habitus est, quo rectore academia Pomerana quintum saeculum auspicaretur. Iure igitur ac debito officio Tibi gratulamur, quod vitae et muneris longum spatium summa cum laude emensus viridi senectute frueris, et pia vota suscipimus, ut dotes illae animi atque ingenii, quibus Tu academiam nostram decoras, ut ampla illa ac solida doctrina, iudicium sanum et acutum, eloquentia et elegantia sermonis,

moderatio denique et sapientia, qua Tu uteris, diu vigeant et sero a nobis recedant. Quae vota ut Deus rata facere velit, nos, qui officiorum consortione Tibi coniunctissimi sumus, sincero animo precari persuasum Tibi esse confidimus: verum ut documento etiam in publicum edito constaret, quid de Te sentiremus, ordo philosophorum me iussit suo nomine de argumento aliquo disserere, quod Tuis studiis non alienum esset. Quod cum circumspicerem dubitare non poteram quin ex antiquitatibus graecis depromerem, quarum cognitionem, si quae in me est, Tuis potissimum libris me debere, qui magna ex parte primus antea reconditas aperuisti et ad disciplinae normam exegisti, non semel grato animo professus sum. De quibus cum saepius inter nos ageretur, ex quo mihi non ut collegae tantum faves, sed etiam in familiaritatem Tuam me recepisti, incidit aliquando sermo in ephoros Lacedaemonios, de quibus sententiam meam breviter tum expositam cum non improbaveris, nunc mihi visum est hanc quaestionem accuratius examinare. Quod ne acta agam, sic instituam ut, quae iam vel a Te vel ab aliis ita explicata sunt ut inter prudentes harum rerum iudices dubitatio non relinquatur, paucis absolvam, testimoniis auctorum non additis, ea quae nondum ad liquidum perducta videantur, paullo altius repetam.

I.

Dorienses constat ubi primum Spartam occupaverunt cum veteribus terrae Laconicae incolis stirpis Achaicae aequas condiciones pactos esse: a quibus cum non staretur, identidem rebellantes armis coercuisse et partim iniquo foedere devinctos sub imperio continuisse partim in miseram Helotarum servitutem adduxisse. Qua quo maior hominum multitudo a paucioribus oppressa tenebatur, praesertim devictis etiam Messeniis, eo acriori disciplina intentiorique vigilantia opus erat, ne quando subditi iugum frangerent et veterem libertatem recuperarent, ducem fortasse inter ipsos Spartanos nacti, cui Lycurgi leges atque mores a maioribus traditi displicerent. Propterea Thucydides (IV 80) a Lacedaemoniis pleraque in civitate hunc potissimum in finem ait instituta esse ut ab Helotis caverent: *ἀεὶ γὰρ τὰ πολλὰ Λακεδαιμονίοις πρὸς τοὺς Εἵλωτας τῆς φυλακῆς πέρι μάλιστα καθειστήκει.* Quae verba cum universam rerum Laconicarum condicionem describunt tum nobis explicant qui factum sit, ut ephori regum olim ministri paullatim ad summam potentiam pervenirent.

Primis enim post Doriensium in Peloponnesum adventum temporibus Ephorus docet apud Strabonem VIII p. 364 sq. — qui locus antea pessime habitus nuper demum maxima ex parte restitutus est — Laconicam in sex regiones distributam fuisse, quarum cuique sua urbs suique reges essent: ex his Spartam Dorienses sibi seposuisse: omnes autem *περιοίκους*, quos Lacedaemoniorum nomine a Doriensibus distinguere licebit, quamquam Spartanorum principatui subditos tamen suis legibus usos esse, non libera tantum condicione sed aequato cum Spartanis iure: *ὑπακούοντας δ' ἅπαντας τοὺς περιοίκους Σπαρτιατῶν ὅμως ἰσονόμους εἶναι, μετέχοντας καὶ πολιτείας καὶ ἀρχείων.* Quam terrae Laconicae in regiones descriptionem non a Doriensibus institutam videri, sed eorum adventu antiquiorem fuisse rectissime Te (in antiqu. gr. ed. II. vol. I. p. 199) statuere arbitror. Fuerunt igitur praeter binos Spartanorum reges quinque civitatum foederatarum, eorumque sedes Ephoro auctore Amyclae Las Aegys Pharis seu Pharaea: quintam, cuius nomen apud Strabonem intercidit, collato Pausania III 2, 6. 22, 6 sq., Geronthras fuisse censeo. Etenim ne cum Ernesto Curtio (Pelop. II 309. hist. gr. I 153) de Boeis cogitem, obstat, quod Doriensium arma illa aetate ultra Helos progressa esse verisimile non est. Reges omnes Achaicae stirpis erant, qui Spartae regnabant eo maxime insignes quod dis indigetibus Iovi caelesti et Iovi Lacedaemonio sacra procurabant, reges gemini gemino deo, inter se disiuncti Tyndaridarum instar, quorum alterius alter simulacrum in bellum secum ducebat (Herod. V 75). Hoc foedus si Ephorum audimus non ultra Agidis regis tempora mansit: si Pausaniae (III 2, 5 sq.) narrationem sequimur, Archelaus post Agin quintus (vel potius sextus: v. Io. Brandis de temporum graecorum antiquissimorum rationibus p. 30) cum Charilao Aegyn cepit, Teleclus Archelai filius Amyclas Pharin Geronthras: Las cuinam succubuerit Pausanias non indicat. Idem Alcamene post Teleclum regnante (circa Olympiadem primam) Helos expugnatum esse tradit, quo capto Laconica tota praeter maris Aegaei oram, qua Argivi illa aetate potiti sunt, Spartanorum imperio subiecta erat. Qua scriptorum discrepantia ne offendamur reputemus necesse est, quod initio aequum foedus fuerit, Spartanorum armis in dies iniquius factum esse, donec civitates illae saepius rebellantes in vicos dissolverentur. Cuius rerum Laconicarum mutationis etsi singula momenta nos latent, qualis postea Lacedaemoniorum — eos dico qui non in servitutem redacti sunt — condicio fuerit notum habemus. Moenibus enim urbium eversis incolas, nisi qui terra cessissent, non per *συνοικισμόν* suam ad urbem trahebant, quod aliis in civitatibus

et orientis et Graeciae factum est, sed potius Spartae domicilium figere vetitos διοικισμῷ instituto per regionem dispertiebant neque magnum eorum numerum eodem loco considere sinebant: simul agrorum optima parte eos privabant, unde sortes Spartanis adsignatae, quarum a principio duo tantum milia fuisse apud Isocratem in Panathen. § 255 p. 286 legimus (malim equidem de tribus milibus cogitare), ad quattuor milia et quingentas, deinde ad sex milia auctae sunt: tot enim, aut sex milia aut quattuor milia et quingentas ante inita Messenia bella fuisse ex Plutarchi vit. Lyc. c. 8 intellegimus. Quas sortes aequabiliter divisas fuisse ut heredia certi modi efficerent, discussis quae de ea re motae erant dubitationibus Tu in dissertatione de Spartanis Homoeis conscripta (Opusc. I 139 sqq.) luculenter demonstrasti. Verum ut ad Achaeos Laconicam incolentes revertamur, eos apparet cum antea singulae civitates suos reges habuissent tunc omnes regum Spartanorum imperio subditos esse. Quorum auctoritatem, quae inter Spartanos iam antiquitus artis finibus circumscripta fuit, in administranda Laconica atque regendis Lacedaemoniis aliquanto plus valuisse cum per se verisimile est tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Ad hos praedia regia (τεμένη) quae singulis in civitatibus fuerant translata sunt (cf. Xenoph. de rep. Lac. 15, [13] 3 γῆν — ἐν πολλαῖς τῶν περιοικίδων πόλεων — ἐξαίρετον): inter tributa quae Ephorus Lacedaemonios pependisse tradit, ex quo foedere iniquo Doriensibus subiungerentur (apud Strabonem l. l. p. 365 ἀφελέσθαι τὴν ἰσοτιμίαν καὶ συντελεῖν προστάξαι τῇ Σπάρτῃ), maxime insigne fuit tributum regibus collatum, de quo Plato in Alcibiade priore (c. 18 p. 123ᵉ) ὁ βασιλικὸς φόρος inquit οὐκ ὀλίγος γίγνεται, ὃν τελοῦσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς βασιλεῦσιν. Quem φόρον equidem non cum Odofredo Muellero (Doriens. ed. II. vol. II 102) ad praediorum regiorum reditus rettulerim, quae ab Helotis culta esse pro certo habeo — neque enim video cur, quod Aristoteles Pol. II 7, 3 dicit: γεωργοῦσι — τοῖς μὲν (Λάκωσιν) εἵλωτες, τοῖς δὲ Κρησὶν οἱ περίοικοι, ad regum quoque agros pertinere negemus —, verum cum illis tributis muneribusque comparaverim quae iam heroica aetate regibus debita fuisse traduntur. Denique non Spartani solum, sed etiam Lacedaemonii ductu auspiciisque regum militabant: ἐν ταῖς στρατείαις αἷς ἡγεῖται βασιλεὺς Isocratis verba sunt in Panathenaico § 180 p. 270. Pro talibus muneribus officiisque reges Lacedaemoniorum quoque curam sustinuisse rebusque eorum prospexisse consentaneum est et memoriae proditum. Huc facit quod Herodotus (VI 57) inter alia munera regibus dicit curam viarum publicarum iudiciaque quae ad eas pertinebant demandata fuisse: quorum enim magis

intererat ut tuto commearent quam Lacedaemoniorum quos solos in Laconica mercaturae operam dedisse novimus Spartanis interdictae? Neque illud videtur neglegendum esse quod regem defunctum Lacedaemonii quoque tamquam patrono suo orbati planctu atque lamentis prosequebantur. Quid, quod inter luctus significationes refertur, ubi rex diem supremum obiisset, iustitio indicto forum palea conspersum esse (Heracl. Pont. II 5), nonne indicio est mercaturam sub regum patrocinio factam esse? Haec si consideramus, haud dubitabimus opinor quin Lacedaemonii regum opibus defensi eorundemque iudicio subiecti fuerint. Quam curam ut reges non Spartae tantum sed per Laconicam exercerent simulque et Lacedaemonios in officio continerent et servilis condicionis homines custodirent, ministris opus erat: ideo ephori constituti sunt. Quos cum Herodotus et Xenophon a Lycurgo, Plato et Aristoteles a Theopompo institutos esse perhibent, in eo scriptores consentire videmus, non a primis reipublicae Spartanae temporibus hunc magistratum repetendum esse: neque video quo iure Muellerus (Dor. II 107 sq.) inde quod aliis quoque in civitatibus praefecti vel curatores *ἔφοροι* dicti sunt effici voluerit, eum inter prisca Doriensium instituta referendum esse. Fuisse autem ephoros si non inde a Lycurgi temporibus at certe iam ante bella Messenia institutos ipse numerus documento est. Vidimus olim Laconicam praeter Spartam in quinque regiones distributam fuisse, quorum quaeque suum regem habuerit: regibus sublatis quinque ephori ex Spartanis creati sunt, qui eorum vice fungerentur. Hic numerus cum legitimus esset ne tum quidem auctus est, cum Spartani fines suos armis protulissent: immo ea cura, quae prius ad ephoros pertinuerat, magna ex parte aliis magistratibus tradita est. Verum hac de re infra dicendum erit: nunc videamus quibus officiis ephori vel cum regibus vel regum vice functi sint.

Ephoros Plutarchus in vit. Cleom. c. 10, Phylarchum haud dubie auctorem secutus, tradit olim a regibus e numero amicorum designatos esse, qui dum ipsi bellorum causa abessent iudicia agerent: fuisse autem nihil aliud nisi regum ministros. Hoc quin re vera ita se habuerit neque Tu dubitas neque hodie quidem inter doctos homines id ambigitur. Nec tamen iudicia omnia, sed certa quaedam genera intellegenda esse docet Aristoteles Pol. III 1, 7 *ἐν Λακεδαίμονι τὰς τῶν συμβολαίων (δίκας) δικάζει τῶν ἐφόρων ἄλλος ἄλλας, οἱ δὲ γέροντες τὰς φονικάς, ἑτέρα δ' ἴσως ἀρχή τις ἑτέρας.* De causis igitur capitalibus senatus indicabat, de privatis, maxime de iis controversiis, quae ex contractibus ortae erant, ephori: hae enim ad *συμβόλαια* referuntur. Quibus in controversiis, quae inter mercaturam, prae-

sertim cum Spartae singula compensatione mercium emerentur, facile existebant, quis negabit Lacedaemonios magis versatos esse quam Spartanos ideoque illos potissimum ephororum iudicio uti debuisse? Quod cum bene perspexisset Odofredus Muellerus (Dor. II 115 sq.), neque illud neglexit ephoros propterea, quod mercaturae commerciique curam gererent, in foro sedes cum regibus et curiam habuisse (Herod. VI 63. Aelian. v. hist. II 15), in eo tamen opinor falsus quod dicit *περιοίκους* et Helotas nou nisi cum Lacedaemone adessent ephororum iudicio subiectos fuisse: neque enim ephoros de iis tantum cognovisse quae *μεταξὺ Βερβίκας τε καὶ Κνακιῶνος* contra ius et aequum acta essent, sed per totam Laconicam munere functos esse non est quod pluribus demonstrem. Superest exemplum rei ad reges ephorosque delatae inter ea quae Diodorus VIII fr. 7 Bekk. et Pausanias IV 4, 8 de causis belli Messenii primi narrant, scilicet Polycharem Messenium apud illos (*ἐπί τε τῶν ἐφόρων καὶ τῶν βασιλέων*) de iniuriis ab Evaephno Spartano sibi illatis questum esse. Cui narrationi etsi non multum tribuerim, hoc tamen apparet ex eius auctoris quem illi exscripserunt senteutia et fuisse ephoros ante bella Messenia et de rebus repetendis iudicia cum regibus habuisse. Verum quod Aristoteles dicit capitales causas a senatu iudicatas esse, id certissimum est ubi de capite hominis Spartani agitur aliisque testimoniis confirmatur, v. c. Xenoph. de rep. Lac. 10, 2 (4, 10) *θεὶς γὰρ (ὁ Λυκοῦργος) τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος*. Plut. vit. Lyc. 26 (*τὸν γέροντα*) *ἔχειν — διὰ βίου τὸ σύμπαν ὡς εἰπεῖν κράτος ἐν τῇ πολιτείᾳ, κύριον ὄντα καὶ θανάτου καὶ ἀτιμίας καὶ ὅλως τῶν μεγίστων*; cf. apophth. Lacon. p. 217[b] *διὰ τί τὰς περὶ τοῦ θανάτου δίκας πλείοσιν ἡμέραις οἱ γέροντες κρίνουσιν κτλ.* ibique Wyttenbachii adnotationem. Propter duplex hoc munus et de re publica consulendi et iudicia capitalia exercendi Fridericus Haasius (in comment. ad Xen. l. l. pag. 116) Spartanorum *γερουσίαν* aptissime cum antiquo illo Atheniensium in Areo pago senatu comparavit. De Spartanis igitur res in aperto est, minus si quid video de Lacedaemoniis, *τοὺς περιοίκους* dico. Quamquam narrationem de Polycharis causa, quam modo conferebam, non adversari puto: nam quod Polychares et boves sibi ablatas et filium interemptum apud reges ephorosque conqueritur, ita explicaverim, ut in senatu nemo nisi Spartanus Spartani nomen deferre et causam suam agere potuerit, Lacedaemoniis vero ac peregrinis, si cui ex Spartanis litem capitis intendi vellent, regum vel ephororum patrocinio opus fuerit. At de capite hominis Lacedaemonii reges olim et postea ephoros senatu non adhibito iudicasse Isocrates docet in Panathenaico § 181 p. 271 *τῶν γὰρ οὕτω μὲν ἐξ ἀρχῆς δεινὰ πεπονθότων, ἐν δὲ τοῖς παροῦσι*

καιροῖς χρησίμων ὄντων (τῶν περιοίκων) ἔξεστι τοῖς ἐφόροις ἀκρίτους ἀποκτεῖναι τοσούτους ὁπόσους ἂν βουληθῶσιν. Sane quidem Isocrates ut orator Lacedaemoniorum condicionem multo etiam miserabiliorem quam erat describit, verum quae ex legibus atque ex institutis Spartanorum profert, non perspicio quo iure ea non bene cognita atque explorata habuisse censeatur: ipse paullo ante ad testes rerum Laconicarum peritos provocat: § 177 p. 270 *φασὶν — οἱ τἀκεῖνων ἀκριβοῦντες*: neque erat cur eos procul quaereret, cum ex ipsa Isocratis disciplina provenisset Ephorus, qui, in omni historia sollers, studiosissime in antiquitates Laconicas inquisivit. Iudicia autem de rebus maioribus causisque capitalibus quo minus miremur non ipsis Lacedaemoniis permissa fuisse — nam de minoribus ipsi inter sese statuisse videntur —, sed a magistratibus Spartanis habita, recordemur oportet quam ambitiose Athenienses cum maxime opibus valerent socias civitates iuris dicendi potestate exuerint. Haec igitur iudicia a regibus ad ephoros translata sunt, quos cum eorum potestas legibus non finita esset ex more vel prout libuisset sententias pronuntiasse Aristoteles testatur Pol. II 6, 16 (*ἔφοροι*) *κρίσεων εἰσι μεγάλων κύριοι ὄντες οἱ τυχόντες· διόπερ οὐκ αὐτογνώμονας βέλτιον κρίνειν, ἀλλὰ κατὰ τὰ γράμματα καὶ τοὺς νόμους.* Quae etsi de universa ephororum in civitate Spartana qualis postea fuit potentia Aristoteles dicit, tamen hoc quoque indicat, si quando ephori saeva de Lacedaemoniis iudicia exercuerint nullam miseris legem praesidio fuisse. Ad hanc iurisdictionem si adiungimus censuram quandam morum et officium providendi ne quid aut Lacedaemonii aut Helotae rerum novarum molirentur — nam iuri dicendo praefectos haec quoque curare par erat — satis puto munera quae primo tempore ephoris commissa erant descripsimus.

II.

Bella Messenia constat in Spartanorum republica constituenda non minoris momenti fuisse quam in Romana Veientia bella. Finibus enim prolatis nec vetera instituta sufficiebant quibus parva olim civitas contenta fuerat et ut parta tuerentur summa virium intentione enitendum erat. Plus semel utraque civitas aut intestinis discordiis aut rebellantium conatibus in ultimum discrimen adducta est, donec et bellica virtute et concordia legibus firmata seditiosos reprimeret atque hostibus terrori sociis praesidio esset. Spartanos post occupatam Messeniam metus incesserat, ne Lacedaemonii aut Helotae, quorum numerus

2

additis Messeniis multo etiam magis superabat, iugum sibi impositum frangerent vel adeo Spartanos prorsus delerent: tantopere saltem Messenii recentibus odiis flagrabant. Accedebat quod per bellum undeviginti annorum severitas morum infracta et Lacedaemoniorum libertas aucta erat. Gravissimis his reipublicae temporibus Theopompus et Polydorus reges de Spartanis optime meriti sunt: eorum enim prudentia et fortitudine factum est ut civitas ex turbis quibus convellebatur feliciter evaderet. E quibus cum Aristoteles Pol. V 9, 1 Theopompum dicat regium imperium firmius reddidisse cum aliis temperamentis tum ephoris institutis, quae alia temperamenta intellegat nescio, nisi de lege gravissima, lata illa a Theopompo rege, cogitavit, qua contionibus populi ius ad senatusconsulta aut addendi aliquid aut demendi aut immutandi ademptum, senatui vero cum regibus potestas data est, quidquid populus praeter rem scivisset, irritum faciendi: *αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν* (Plut. Lyc. c. 6). Neque enim aliter evenit quam ut cum populi libertate simul regia dignitas imminueretur et omnis in republica vis paullatim ad senatum magistratusque transiret: simul enim ephori quamquam etiamtum a regibus designabantur latius arbitrium adepti esse videntur. Hinc puto explicandum esse quod ex Theopompi regis tempore nomen primi ephori in fastos relatum est (Plut. vit. Lyc. c. 7 *πρώτων τῶν περὶ Ἔλατον ἐφόρων κατασταθέντων ἐπὶ Θεοπόμπου βασιλεύοντος*); quae forsitan causa fuerit cur nonnulli scriptores Theopompum regem primum ephoros instituisse censerent. Quantis vero motibus Sparta subinde agitata fuerit, licet continua narratione nemo scriptorum, qui quidem supersunt, exposuerit, tamen ex iis quae carptim et per fragmenta memoriae prodita sunt satis elucet. Novimus Polydorum regem, qui praecipua clementiae atque humanitatis laude inter populares floruit, a Polemarcho Spartano ex nobili domo nato occisum, nec possumus non mirari quae causa fuerit, ut cum Polydori memoriam summo honore colerent (eius enim imagine magistratus postea acta publica signabant), tamen Polemarcho sepulcri monumentum non negarent (Paus. III, 3, 2 sq. 11, 10). Non minus obscura fama est coloniae Lacedaemone Tarentum missae. Dico Partheniarum seditionem, de qua Ephori narrationem, servatam illam a Strabone (VI p. 279) Dionysio (XVII fr. 1. 2) Iustino (III, 4), Odofredus Muellerus (Dor. II 279, 4) vidit pro fabula habendam esse ex nomine ficta: propius ad veritatem accedere putaverim quae ex Antiocho, antiquo sane auctore, Strabo affert (VI. p. 278): *ὅτι τοῦ Μεσσηνιακοῦ πολέμου γενηθέντος οἱ μὴ μετασχόντες Λακεδαιμονίων τῆς στρατείας ἐκρίθησαν δοῦλοι καὶ ὠνομάσθησαν Εἵλωτες, ὅσοις δὲ κατὰ*

τὴν στρατείαν παῖδες ἐγένοντο, Παρθενίας ἐκάλουν καὶ ἀτίμους ἔκριναν· οἱ δ' οὐκ ἀνασχόμενοι (πολλοὶ δ' ἦσαν) ἐπεβούλευσαν τοῖς τοῦ δήμου — γνώριμοι δ' ἦσαν ἀπὸ τῆς κόμης οἱ τοῦ δήμου. — In his verbis quaeritur utrum Antiochus Lacedaemoniorum nomine Spartanos quoque comprehenderit an solos περιοίκους stirpis Achaicae significare voluerit. Verum si animadvertimus τοὺς τοῦ δήμου, qui illis opponuntur, manifesto Spartanos esse, ac praeterea reputamus quae ille dicit de facultate eligendi, vellentne contra Messenios militare necne, Spartanis prorsus non convenire, quos omnibus viribus iuratos in hoc bellum incubuisse traditum sit, concedamus oportet illud nomen hoc quidem loco de Achaeis Laconicam incolentibus accipiendum esse. Quod si tenemus Antiochi narratio coniectura explicari poterit, quam Tuo iudicio probari velim, scilicet si ponamus Spartanos Lacedaemoniis, quo facilius eos in fide continerent, huius militiae vacationem petentibus dedisse: illis autem, qui sponte bello interesse vellent, conubium concessisse et finito bello aut civitatem aut certe agri capti aequas sortes pollicitos esse. His condicionibus eum Spartani non stetissent, ut qui nec matrimonia a Lacedaemoniis cum mulieribus Spartanis inita pro iustis ac legitimis haberi vellent et agrum Messenium inter se partirentur vel totum vel optimam partem, gravissima seditio orta est donec oraculi Delphici suasu Lacedaemonii illi cum uxoribus (si quid tribuendum est Pausaniae X 10, 7) ac liberis duce Phalantho Heraclida relicta Laconica Tarentum migrarent. Huic explicationi favere videtur, quod in eo omnes scriptores consentiunt Partheniás etsi materno genere Spartanos nihilo minus spurios iudicatos esse, quoniam patres a quibus generati essent, aut ignorarentur aut Helotae fuissent: neque enim Ephori nec Theopompi (fr. 190 ap. Athen. VI p. 271[c] de ἐπευνάκτοις) nec Aristotelis (Pol. V 6, 1 coll. Heracl. Pont. 26) alia sententia fuit. Accedit quod Ephorus tradidit convenisse ut ubi Phalanthus galeam Laconicam capiti imposuisset, coniurati in Spartanos irruerent: Helotas incepti conscios et participes fuisse: denique de patrimoniis certatum esse (Iust. l. l.) et his condicionibus discessum, ut Partheniis, si forte Tarento repulsi domum redire cogerentur, agri Messenii quinta pars concederetur (Strab. l. l. p. 280).

Partheniarum discessu civiles motus qui post bellum Messenium exarserant sedati sunt, neque tamen exinde Spartani metu vacabant ne quando devicti ac subditi rebellionem pararent. Hic metus continuo eos vexavit, hic arma de manibus deponere prohibuit, hic ut usu continuo exercitati tandem reliquis Graeciae civitatibus praecessent effecit. Praecipua autem dominationis Spartanae strenue obtinendae cura ad ephoros delata est, qui aut singuli aut ex collegii auctoritate

2*

quae opus erant providebant. Huc pertinet κρυπτεία, instituta illa iam Lycurgi legibus, sed in dies magis adstricta, quam ex hoc tempore ni fallor — nam olim a regibus ordinatam esse probabile est — ephori indixerunt et disposuerunt. Saevum illud adolescentium tirocinium dico, quo per terram vagi omnia speculabantur et perscrutabantur Helotasque ne quid novi molirentur coercebant. De quo quod apud Plutarchum (vit. Lyc. c. 28) legimus ex Aristotele petitum τοὺς ἐφόρους, ὅταν εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῶσι πρῶτον, τοῖς εἵλωσι καταγγέλλειν πόλεμον ὅπως εὐαγὲς ᾖ τὸ ἀνελεῖν, recte monitum est non ita accipiendum esse, ut Heraclides Ponticus 2, 4 voluit, quasi impune fuisset Helotarum quem libuisset occidere, verum illud docet tantum abfuisse ut Spartani tuto atque secure domi viverent, ut in media Laconica non secus atque in hostili terra versarentur. Eundem denique in finem immanes illae Helotarum caedes, quarum apud Thucydidem belli Peloponnesiaci temporibus mentio fit, non ob commissa scelera, sed ne forte viribus confisi se in libertatem vindicare conarentur, a magistratibus Spartanis imperatae sunt. Ceterum hac aetate ephori id munus, quod olim eis datum vidimus, ut regum vice singuli singulis regionibus Laconicae praeessent, minus curasse videntur, fortasse parte officiorum ad alios magistratus translata, inter quos quinque minores ephoros referendos esse a Timaeo in lexico Platonico memoratos a Te observatum est in antiqu. i. p. Gr. p. 129, 16. antiqu. gr. I 254 ed. sec. Regionum autem sive pagorum cum occupata Messenia numerus duplicatus esset (nam uti Laconica si Spartam excipimus quinque regionibus constabat, sic Messeniam quoque in quinque partes divisam fuisse Ephorus testatur apud Strabonem (VIII p. 361; cf. VI p. 280. antiq. i. p. Gr. p. 113, 4), nihilo minus tamen ephori plures creati non sunt, sed singulis regionibus bini harmostae impositi. Sic enim explicanda esse quae de viginti harmostis in scholiis ad Pindari Olymp. VI 154 leguntur Te auctore et Fridericus Haasius l. l. p. 286 statuit nec mihi aliter videtur. Ex binis his harmostis alterum suspicari licebit iuri dicundo alterum rei militari praefectum fuisse. Neque illud te fugit cum his harmostis τὸν κυθηροδίκην comparandum esse quem quotannis Cytheram mitti solitum Thucydides (IV 53) memorat, scilicet ex quo tempore haec insula Argivis erepta est, multis annis post neque ante Chilonis aetatem (Herod. I 82. VII 235). Denique non prius quam Messenia subacta esset Lacedaemonii in centum oppida distributi sunt, qua cum distributione novam agrorum inter eos divisionem, iniuria illam a Plutarcho (in vit. Lyc. c. 8) Lycurgo adscriptam, coniunctam fuisse, Te certissima coniectura (in antiqu. i. p. Gr. p. 113, 3) statuere arbitror. Qua nova agrorum

adsignatione si quis quaesiverit utrum Lacedaemoniorum condicio in melius an in deterius mutata sit, eum meminisse velim Antiochi dicentis Lacedaemonios reliquos praeter Partheniás a Spartanis in Helotarum servitutem redactos esse, quod officium sibi non praestitissent: non quo haec verba urguenda censeam, sed id credo hinc confirmari Spartanos Messeniis oppressis Lacedaemoniis non modo non lenius sed multo etiam superbius dominatos esse.

Hunc rerum Laconicarum statum si consideramus, iure nostro statuemus novos illos magistratus additos vel potius subditos esse ephoris. quo intentius hi vigilarent ne quid respublica detrimenti caperet. Ad eorum munera pertinebat officium peregrinos, qui aliquo modo civitati nocere possent, arcendi: omnino, quum summa rerum posita esset in legum morumque disciplina et in concordia civium, hanc ne quis turbaret summo illis studio providendum erat. Iam cum legimus non semel insequentibus temporibus discordiam civilem ortam esse (sufficit nominasse Terpandros Thaletas Tyrtaeos), donec Sparta omnes hos motus feliciter eluctata tandem ipsa immota aliis civitatibus praesidio esse potuerit, simul autem ephoris auctam, regibus imminutam potestatem videmus, num dubitabimus quin ephori in sedandis illis turbis sollertissimos et utilissimos se praestiterint, simul autem formam civitatis sensim immutaverint? Eo enim denique res adducta est, ut tutela legum maxime in ephoris posita esse videretur. Quamquam tenendum est ad maiorem dignitatem ephoros initio quidem ipsis regibus a quibus designabantur non repugnantibus evectos esse, neque belli Messenii secundi aetate eam inter Spartanos tam insignem fuisse, ut Tyrtaeus non iure nobilissimis illis *Εὐνομίας* versibus (Plut. vit. Lyc. c. 6) regibus et senatu et populo totam Spartanorum civitatem comprehenderit, ephoros autem ne nominet quidem: accessit tamen ad propria illorum munera, praesertim cum reges saepe diuturnis bellis inplicarentur vel inter se dissiderent vel languescerent, ea auctoritas, qua facile etiam contra hos ipsos a quibus designati erant abuti possent. Cuius auctoritatis apertissimum indicium praebere videtur quod apud Plutarchum inter apophthegmata Laconica p. 217[c] legimus, iam ea aetate ephoros tamquam legum custodes ac vindices ne regibus quidem assurrexisse, quod reliquis Spartanis moris erat. De quo loco quae Urlichsius in commentatione, qua de rhetris Lycurgeis docte et subtiliter disputavit (inserta illa Mus. Rh. n. vol. VI. a. 1848), p. 225 sq. disseruit mihi probavit praeter ea quae de genere Anaxilai suspicatus est: haec enim ut obiter id moneam mihi cum Herodoto non convenire videntur. Ceterum plane Tibi assentior, quod iam tum

regibus non prorsus liberam potestatem fuisse censes quos vellent ephoros designandi, sed aliqua ratione huius magistratus electionem eorum arbitrio exemptam (Antiquit. I 246).

III.

Venio ad eam aetatem, qua ephori potestate sua contra reges ipsos, a quibus olim instituti et creati erant, uti coeperunt. Quod quomodo evenerit licet diserte nobis traditum non sit, Urlichsius tamen uno verbo iudicavit, cum ob tyrannidis metum factum esse diceret (l. l. p. 230). Quod pluribus persecutus est Dunckerus in hist. ant. vol. IV p. 362 sq., sed ita ut etiamsi in universum recte iudicaverit, tamen non nunquam coniecturis magis quam probari possit indulsisse mihi videatur. Tenendum autem est, devictis altero bello Messeniis (quod non XXVIII., sed XXXVIII. olympiade finitum esse persuasum habeo) floruisse per Peloponnesum dominationes tyrannorum Corinthiorum et Sicyoniorum, qui plebis favore nisi gentes Dorienses vel in exilium egerant vel satellitum praesidiis firmati oppressos tenebant. Quae cum e propinquo intuerentur, Spartanis metuendum erat, ne illorum exemplo permotus inter reges existeret homo ambitiosus qui Lacedaemoniorum atque Helotarum opera adiutus tyrannus potius haberi quam severis Lycurgi legibus obtemperare vellet. Hoc ut caverent Spartani ephororum magistratum tamquam popularem regibus opposuerunt, adempta regibus potestate ephoros creandi. Et primus quidem, si Plutarcho (in vit. Cleom. c. 10) fides habenda est, Asteropus cum ephori munere fungeretur collegium suum ad ampliorem potentiam evexit: quod qua ratione effecerit ignoramus, cum neque Plutarchus indicaverit et alii scriptores ne nominent quidem Asteropum. Nam quod Odofredus Muellerus coniccit (Dor. II 120), Asteropum ius contiones habendi a regibus et senatu ad ephoros transtulisse, habet quidem quo commendari videatur, neque tamen pro certo adfirmari potest. Hoc vero non est dubium quin decreta, quibus regia potestas imminuta est, de senatus sententia facta sint, non a populo scita ephoris invito senatu rogationem ferentibus. Apud Diogenem Laertium (I 68) de Chilone legimus, quo post Lycurgum nemo inter Spartanos prudentior et sapientior habitus est: *πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι*, quod Mullachius (Fragm. philos. gr. p. 208) de ephoris reges ad bella comitantibus accipi voluit, Urlichsius (l. l. p. 227. 230) ad novam ephoros creandi rationem

rettulit, qua potestas eorum cum regibus aequata sit. Mihi quid Asteropo, quid Chiloni tribuendum sit, in medio relinquendnm esse videtur, licet magis in eam sententiam inclinem quam Dunckerus (IV 365 sq.) amplexus est, ut Asteropum statuamus legem de creandis ephoris tulisse, Chilonem deinde huius magistratus iura confirmasse et supra regiam potestatem extulisse. Etenim quamquam Urlichsio concesserim Chilonem, quo tempore Epimenides Athenas profectus est (ol. XLVI, 1), iam adultum fuisse (cf. Herod. I 59), tamen quod apud Diogenem l. l. legitur, cum olympiade LV vel LVI inter ephoros principem locum tenuisse, potius pro vero habeam qnam quod idem § 72 dicit Chilonem iam ol. LII senatorem (γέροντα) fuisse. Quamvis enim Aristotelis testimonio (rhet. II 23 p. 109, 11 Sp.) comprobetur Chilonem e numero senatorum fuisse, tamen mihi dubium non est quin ad hanc dignitatem pervenerit postquam ephorus fuerit: neque enim unquam ephoros ex senatoribns delectos esse arbitror. Quod si vere statuo tempus, quo Chilon auctoritate floruit, aliquantum ab Epimenidis aetate recedere videtur. Hoc vero praeclare Urlichsius demonstravit ephoros ab Epimenide Crete in mutanda civitatis forma adiutos esse. De quo quae vir doctissimus l. l. p. 217—230 exposuit repetere nolo: a cuius sententia ubi in sequentibus discesserim quaeve ipse de meo addiderim periti facile dignoscent. Summa rei in eo posita est, quod illa aetate qua Spartani Agasicle et Leonte regnantibus et cum Argivis et cum Arcadibus bella parum prospere gesserunt, ephori a regibus designari desierunt: neque tamen deinceps propter virtutem et merita electi sunt, quemadmodum senatores a poplo creatos esse novimus, sed quotannis toto de populo desumptos, saepe ex tenuissimis, ratione perquam pnerili, non sorte quidem, sed quae sorti similis esset. Talia enim Plato et Aristoteles de ephororum creatione nobis tradiderunt. Unde hoc quidem efficitur neque populi neque senatorum suffragiis ephoros constitutos esse: quae vero mira illa ratio eos legendi fuerit, difficile sane dictu est. Probabilis certe admodum mihi ea sententia videtur quam comparata senatorum lectione Urlichsius proposuit, a populo electos esse qui auspiciis quibusdam captis ephoros designarent: quam sententiam, a Carolo Friderico Hermanno reiectam (antiqu. gr. I § 45, 9) a Te saltem quod ad auspicia attinet comprobari video (antiqu. gr. I 247, 6). Auspiciis vero vel oraculis, quae quotannis in creandis ephoris consulta esse statuimus, magis etiam opus fuit cum primum hic magistratus regibns oppositus est. Apollinis enim Pythii iussu Spartani leges olim conditas et a Theopompo et Polydoro novas additas credebant, ut ait Tyrtaeus

Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν οἴκαδ' ἔνεικαν
μαντείας τε θεοῦ καὶ τελεέντ' ἔπεα·
ὧδε γὰρ ἀργυρότοξος ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
χρυσοκόμης ἔχρη πίονος ἐξ ἀδύτου·
ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
οἷσι μέλει Σπάρτης ἱμερόεσσα πόλις,
πρεσβυγενεῖς τε γέροντας· ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας
εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους.

Iam cum videamus, quam studiose Spartani deorum voluntatem semper exploraverint et edita oracula observaverint, quis existimaverit eosdem nisi divino numine adnuente legem tam gravem, qua de regia dignitate tantopere derogatum est, sanxisse: talem legem senatores, religiosissimos viros proposuisse, populum quem praeter ceteros Graecos superstitiosum fuisse novimus, scivisse? Neque tamen oraculum, quod hunc in finem adhiberetur, Delphis peti poterat: Pythiam enim quattuorviri Pythii consulebant a regibus delecti iidemque soli cum regibus edita vaticinia cognoscebant. Hinc igitur mutandae civitatis consilia quaerenda non erant. Accedebat quod quo tempore ephoros haec consilia opitulante Epimenide executos esse diximus, circiter olympiadem XLVI, sacerdotes Delphici, quamvis alioqui nobilitatis et Doricarum gentium potentiae addicti, mediam quandam viam tenebant: nanque et Solonis leges a Spartanorum institutis toto coelo diversas auctoritate sua comprobaverunt et cum Clisthene Sicyoniorum tyranno foedus iunxerunt. Unde fieri non potuit quin apud Dorienses, imprimis apud Spartanos, oraculi Pythii auctoritas aliquantum infringeretur.

Sed dixerit forsitan aliquis: nonne Chilon, a quo tu non consulto oraculo Delphico novam hanc ephororum potestatem etsi non inchoatam, tamen longius provectam atque ordinatam esse censes, unus fuit ex concilio illo septem sapientium, quos populi suffragiis nominatos Apollo quoque sibi probatissimos esse declaravit quorumque praecepta digna habuit, quae in limine templi aureis litteris inscriberentur. Ita enim statuit vir in Graeca historia versatissimus, quem multis nominibus magni aestimo, Ernestus Curtius (hist. gr. I 425 sq.). Verumtamen hac quidem in re me prorsus ab eo dissentire confiteor. Namque sic existimo, sententias septem, qui numerus Apollini sacer fuit, tamquam communis vitae leges in templo Delphico novo, quod post ol. LVIII, 1 exstrui coeptum est, insculptas fuisse, quarum de auctoribus fortasse inter ipsos sacer-

dotes non constiterit: quas cum persuasione populari receptas certis nominibus inscribi mallent, finxisse sibi Graecos concilium septem sapientium ex viris inter se aequalibus, qui prudentia civili legibusque sapienter latis per Graeciam excelluisse omnium consensu ferebantur. Hinc explicari arbitror qui factum sit, ut et aliorum suffragiis alii inter septem sapientes referrentur neque eadem praecepta eisdem semper auctoribus tribuerentur. Ad Chilonem miramur apud Diodorum (IX fr. 14) Pliniumque (n. h. VII 32, 119) non unum, sed tria ex septem illis praeceptis referri: quid quod ex his *γνῶθι σαυτόν* et *ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα* alios Thaleti, *μηδὲν ἄγαν* Pittaco aut Soloni adscripsisse videmus? Plura affert Diogenes Laertius I 40—42 quibus apparet verum esse quod dicit *διαφωνοῦνται δὲ καὶ (αἱ) ἀποφάσεις αὐτῶν καὶ ἄλλον ἄλλο φασὶν εἶναι* —· *στασιάζεται δὲ καὶ περὶ τοῦ ἀριθμοῦ αὐτῶν.* Itaque collegium aliquod vel concilium septem sapientium fuisse nego. Neque tamen haec eum in finem disputavi quasi dubitaverim quin et Chilon sacra Pythia summa religione coluerit et sacerdotes Delphici illum virum, qui virtute et meritis non solum inter Spartanos principem locum obtineret, sed cuius praecepta paucissimis verbis enuntiata (unde *ὁ Χιλώνειος τρόπος* dictus est) in omnium ore essent, summo in honore habuerint. Hoc tantum dictum volui nihil obstare quominus Chilon, ubi ex re esse videretur, in constituenda ephororum potestate aliis vaticiniis vel ipse primus uteretur vel si iam ab Asteropo adhibita erant iisdem se addiceret. Haec praebuerunt incubationes in templo Pasiphaës, quas Urlichsius scite coniecit ab Epimenide Spartam translatas fuisse. Pasiphaës enim seu Inus sacra antiquissima Thalamis erant haud procul a mari in confiniis Messeniae atque Laconicae (Paus. III 26, 1; de situ loci cf. E. Curtii Pelop. II 230, 124), ne hic quidem ab origine tradita, sed a peregrinis advecta: *Σελήνης δὲ ἐπίκλησις καὶ οὐ Θαλαμίταις ἐπιχώριος ἡ Πασιφάη.* Scilicet Cretensis dea fuit multis fabulis cum Minoe coniuncta (cf. Prelleri Myth. gr. ed. sec. II 120): cum qua quam bene Cretensi vati conveniat apparet. Pasiphaë enim per incubationes lunares oracula dabat: omnium autem incubationum exemplar proposuit Epimenides, cuius somnium in antro nympharum Cnosio per annos septem et quinquaginta duravit, id est per tres cyclos novendecim annorum quales postea Meton Athenis constituit, quos tamen dubitari nequit quin Chaldaei iam Solis et Lunae cursibus inter se comparatis invenerint et adhibuerint: vd. Ideleri Chronol. I 47 sq. 210. 297 sqq. Videtur igitur haec annos computandi ratio a Chaldaeis ad Phoenices, ab his ad Cretenses propagata esse. Epimeniden autem tot annis dormivisse teste

Apollonio Dyscolo hist. comm. c. 1 (C. Muelleri fragm. hist. gr. I 288, 69) ἄλλοι τε πολλοὶ εἰρήκασιν, ἔτι (δὲ) καὶ Θεόπομπος ἐν ταῖς Ἱστορίαις, ἐπιτρέχων τὰ κατὰ τόπους θαυμάσια (sc. Philipp. libro VIII. cf. Diog. L. I 109 Menag., Val. Max. VIII 13 ext. 5, Plin. VII 52, 175); neque multum interest, quod Schol. Luc. Tim. c. 6 et Suidas sexaginta annos ponunt (nam apud hunc ξʹ pro ξζ quod in libris est dudum correxerunt editores) aut quod Varro (de L. L. VII 3) Plutarchus (an seni sit gerenda resp. c. 1 p. 784ᵃ μετὰ πεντήκοντα ἔτη) Greg. Cypr. prov. II 23 Epimeniden post annos quinquaginta experrectum tradunt: hos enim noluisse numerum accuratius definire apparet. Solus quod videam Pausanias (I 14, 4) dissentit, nisi forte τεσσαρακοστὸν ἔτος (μʹ) librariorum errore scriptum est, cum ipse πεντηκοστὸν (νʹ) ut alii voluisset. Cum Epimenidis somno iam C. F. Heinrichius (Epimenid. Cretens. p. 49 sqq.) Endymionis contulit, quem in Elide quidem haud obscurae fabulae computationis penteteridum Olympiacarum auctorem ferunt quique etiam ab aliis Lunae cursus invenisse dicitur; vd. Boeckh. explic. Pind. p. 138. de cycl. lun. hist. p. 10. Nolo in hunc latissimum disputandi campum longius progredi, cum quae instituta Epimenides inter Spartanos vel proposuerit vel auctoritate sua confirmaverit, vel sic facile intellegatur. Et primum quidem ephoris commissum est ut ad vaticinia capienda in templo Pasiphaës incubarent; v. Plut. Cleom. c. 7. Ag. c. 9. Cic. de div. I 43, 96 *Lycurgus quidem — leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit — atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis in Pasiphaae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant*, quo loco oraculum Delphicum a Lycurgo consultum quodam modo opponitur oraculis a Pasiphaë editis, quibus ephori (nam hos in illo fano incubasse Plutarchus docet) potissimam fidem tribuebant. Pasiphaën Thalamis Spartam advenisse vidimus: indidem ex sede propria ephori sepulcrum Apharei in curiam suam transtulerunt (Paus. III 11, 11; cf. 1, 4. 14, 7), qui rex Tyndaridis qui eisdem in locis nati ferebantur cognatus quanta necessitudine cum deis luciferis coniunctus sit, non est quod demonstrem: sufficit laudasse quae Prellerus (Mythol. II 90 sqq.) exposuit. Ceterum non adversor Ernesto Curtio, qui Spartanos ad se translato Apharei sepulcro significasse statuit suam urbem et Laconicae et Messeniae solam dominam esse (Pelop. II 230, 124. Hist. gr. I 174 sq.): aucta enim Spartae sanctitate ephori suae quoque auctoritati consulebant: modo concedatur non statim post primum bellum Messenium sed posteriore demum tempore hoc factum esse.

A Pasiphaës cultu alienum non est, quod Pausania auctore (III 12, 11)

Epimenides Lacedaemone aedes rotundas Iovi Olympio atque Veneri Olympiae sacras exstruxisse fertur, quos deos a Sole atque Luna (Ἡλίῳ et Πασιφάῃ) non dispares fuisse Urlichsius (l. l. p. 219*), eosdem in sacris gentiliciis magno honore habitos esse Prellerus (Mythol. I 288) docuit; cf. C. Th Pylii librum: die Griech. Rundbauten p. 93. Namque ad haec numina pertinent de caelo observationes, institutae illae ab ephoris nono quoque anno quibus cognoscerent utrum regnum alterius utrius regis continuari an aboleri deberet (Plut. Ag. c. 11), qua superstitione dici non potest quantum illius magistratus potentia aucta sit. Has vero observationes cum tanto intervallo certisque diebus fieri oporteret, cum universa temporum constitutione coniunctas fuisse patet ita ut Spartanos quoque octeteridem habuerint necesse sit, qualem Athenis Solon ordinavit (vd. Boeckh. l. l. p. 10 sq.), nescio an hac quoque in re Epimenide adhibito: annum enim et menses et intercalandi rationem constituere ad sacra officia pertinebat: cf. Hermanni antiqu. II § 44. Illud etiam ephoris tributum est, ut in actis publicis nomine principis eorum annus designaretur (cuius initium non ut Athenis circa solstitium sed circa aequinoctium fuit; vd. antiqu. i. p. Gr. p. 129, 18) utque quovis mense et semet ipsos et reges iure iurando obstringerent (Xen. de rep. Lac. c. 15, 7; 13 p. 257 Haase). Vel inde intellegere licet quantum momenti tempora notandi officium ad muneris auctoritatem adtulerit.

Verum haec quidem observatio ex rebus Spartanis ducta multo etiam latius patet. Deos enim luciferos inter omnes constat non ideo tantum cultos esse quod in omni rerum natura lux dominaretur, sed quod mentes quoque hominum perspicerent et gubernarent, quidquid purum et castum esset gratia et honore ornantes, contraria adspernantes atque punientes. Quapropter qui illis operari vellent ante omnia curare debebant ut et civitas universa et singuli lustrarentur et si quo scelere divinum numen violatum esset religiosissime id expiaretur. Hae erant praecipuae partes Epimenidis Cretis, qui ut ait Aristoteles in Rhet. III 17 p. 157, 20 περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν ἀδήλων δέ, hanc ipsam ob causam a Solone Athenas adscitus, quo suadente et nova sacra constituente Cylonium scelus expiaretur. Eundem Lacedaemonem quoque lustravisse arbitror, sive sacris flagitio aliquo violatis sive quod magna aliqua clade afflicti iram deorum placare volebant. Hoc ut statuam eo maxime adducor, quod facinus Spartanorum cum Cyloniorum caede comparandum Athenienses Periclis aetate unum tantum cognitum habuisse videntur, non multo illud ante bellum Messenium tertium commissum, dico Helotas supplices e Plutonis

templo Taenario abductos et contra deorum fidem trucidatos (Thuc. I 128. Paus. VII 25, 3. Plut. amat. narr. 5 p. 775ᵉ). Cladem autem gravissimam Spartani circa Epimenidis aetatem acceperunt bello cum Arcadibus gesto, quam Herodotus (I 66 sq. cf. Paus. X 9, 6) narravit. Hanc cladem, qua multi Spartani a Tegeatis capti et in vincula coniecti sunt, causam fuisse Epimeniden Spartam advocandi, ut novo ritu civitatem lustraret vel hoc fidem facit, quod Diogenes Laertius (I 114 sq.) cum alio auctore tum Theopompo (fr. 70) usus eam ab Epimenide praedictam esse memoriae prodidit: adiicit vatem voce caelesti iussum esse, non nymphis, quemadmodum antea visum erat, sed Iovi templum dedicare. De hoc loco optime egit Urlichsius l. l. p. 218 sq. neque enim fugit hoc Iovis templum idem esse quod Pausanias quoque ad Epimeniden rettulit (v. supra p. 18 sq.). Ab eodem sacella affectuum aut eventuum constituta esse putaverim, quorum Plutarchus in vit. Cleom. c. 9 meminit, Mortis Risus Timoris: plura Tu in commentario ad h. l. p. 200 indicasti. Inter quae maxime notabilis videtur Timoris consecratio ad curiam ephororum (cf. l. l. c. 8): *τιμῶσι δὲ τὸν Φόβον — τὴν πολιτείαν μάλιστα συνέχεσθαι φόβῳ νομίζοντες.* Etenim Epimenidis suasu Athenienses quoque Misericordiae Pudoris Famae Impetus aras consecrasse videntur, quarum Pausanias I 17, 1 meminit: Pudoris aram idem haud procul Lacedaemone vidit (III 20, 10). Non iniuria igitur ad Spartam quoque aliquis rettulerit, quod Plutarchus in Solonis vita c. 12 de Athenis ab Epimenide lustratis scripsit: *ἱλασμοῖς τισὶ καὶ καθαρμοῖς καὶ ἱδρύσεσι κατοργιάσας καὶ καθοσιώσας τὴν πόλιν ὑπήκοον τοῦ δικαίου καὶ μᾶλλον εὐπειθῆ πρὸς ὁμόνοιαν ἐποίησεν.* Cf. Diog. L. I 112 *λέγεται δὲ καὶ πρῶτος οἰκίας καὶ ἀγροὺς καθῆραι καὶ ἱερὰ ἱδρύσασθαι.*

Vidimus ephoros in augenda dignitate sua et novis legibus constituendis Epimenidis opera adiutos esse eosdemque Pasiphaës oracula callidissime in usum suum convertisse. Neque tamen his contenti, cum reges oracula antiqua, maxime Delphica, adservarent, quibus data occasione uterentur, ephori sibi quoque copiam aliquam vaticiniorum compararunt, quae in pelle ut ferebant Epimenidis inscripta in curia sua habebant (Diogen. Proverb. VIII 28. Suid. s. v. *Ἐπιμενίδης*): ibidem monumentum Epimenidis fuit, cuius Pausanias (III 11, 11) meminit. Poteram plura addere quibus docerem postero tempore ephoros regesque inter se certasse, utri certiora et sanctiora vaticinia proferre possent: sed de sacris haec sufficient. In civitate autem ephoros ex hoc tempore principatum tenuisse ita ut nihil eis invitis geri posset et omnis fere respublica per ipsos administraretur, ut reges vel quem alium vellent in iudicium vocarent, agerent

cum senatu populoque et cum exteris nationibus, notum est et cum ab aliis tum a Te tam luculenter expositum, ut cui usui foret ea hic repetere nesciam.

Superest, ut quaeramus, utrum Spartanorum civitas, ex quo ephori rerum potiti sint, melius sit administrata quam antea necne. Quod res ipsa nos edocere videtur. Apparet enim Spartam cum paulo ante ne Tegeatis quidem par fuisset, mox motibus intestinis immunem, fortem concordia civium, disciplina legum armorumque usu omnibus Peloponnesi, mox totius Graeciae civitatibus superiorem fuisse. Tantum enim aberat ut Spartani tyrannidis metu liberati quid reliquae civitates paterentur sua non referre existimarent, ut ubique contra tyrannos pugnantibus opem ferre parati essent. Quod tanta constantia fecerunt, ut brevi tempore plerasque civitates abolita tyrannide sub principatum suum acciperent, Peloponneso si Argos excipimus turbis civilibus iam vacuae otium et quietem redderent, denique quantum in se esset efficerent, ut universa Graecia iunctas vires barbaris opponere posset. De hoc Spartanorum adversus tyrannos certamine, quo summam laudem inter omnes meriti sunt, Ernestus Curtius in hist. gr. I 236—242 praeclare iudicavit, ut me quidem prorsus consentientem habeat.

Reliqua est ultima aetas, qua degenerantibus paullatim Lacedaemoniorum moribus ephori potestatem magis magisque stabiliverunt atque adeo auxerunt, ut denique hic ipse magistratus, qui olim legum vindicem acerrimum et tyrannorum adversarium fortissimum sese praestiterat, supra leges efferretur nec multum a tyrannide diversus esset. Verum haec, quae nisi tota Spartanorum historia exposita explicari nequeant, longiorem ambitum requirunt, quam hae pagellae admittunt, quas Tuo nomini dicatas ordo noster non mole sua, sed sincero et amico quo conscriptae sunt animo Tibi commendari velit.